

statuendum de argumentis comparatis & ortis? Respon. In lib. 2. distinximus prædicationem in signatam & exercitam. Si species prædicationem signatam, omnia argumenta sunt dissentanea, ideoque negativè disponenda, hoc modo: causa non est effectum, genus non est species &c. nisi velis disponere in casu obliquo: ut causa est effecti causa. Si species prædicationem exercitam, argumenta consentanea affirmando, dissentanea negando sunt disponenda. Reliqua, prout participant de consensione vel dissensione, ita & disponenda sunt. e. g. 1. Species & genus affirmatè disponuntur: ut, homo est animal. 2. Totum essentiale & pars essentiales affirmando disponuntur: ut, homo habet corpus organicum: at non, homo est corpus organicum. 3. Sic & totum integrale & pars integralis: ut, caput est membrum corporis humani; at non sic, caput est corpus humanum. 4. Paria & similia disponuntur affirmatè: ut, bestia æquè est animal, ac homo: homo est bulla. 5. Notatio cum notato disponitur affirmatè: ut, Philosophia est studium sapientiæ: vel negatè: ut, lucis non lucet. 6. Conjugata disponuntur affirmatè: ut, sapiens sapienter agit. 7. Imparia disponuntur affirmatè: ut, virtus moralis est præstantior intellectuali: vel negatè, homo non est æqualis Deo. 8. Dissimilia disponuntur negatè: ut, non ut pastor bonus curat oves, sic & mercenarius: non ut dominus ad servum, sic maritus ad uxorem se habet. 9. Denique quando definitio negativè prædicatur de re aliquâ, illa res non habet rationem definiti: ut, asinus non est animal rationale. Et sic est dissensio. Confer cum cap. 13. *hujus libri.*

### *Cap. 3. Axioma verum & falsum.*

**S**ecundò axioma est verum vel falsum.

**Veritas est duplex, non essentiæ, sed modo considerationis.**

Quidam hanc distributionem hoc nomine reprehensum eunt, quod veritas cujusque axiomatis sit affectio, ut quæ legitimam dispositionem sequitur. Sed ad hoc sciendum est, veritatem esse duplē, incomplexā & complexā. Incomplexa est attributū cujusq; entis. Ut enim unū quodque est ens, ita & verum. Hæc non habet contrariè oppositum.